In Funere

Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini,

D. PETRI TYLICKI,

EPISCOPI CRACOVIENSIS,
DVCIS SEVERIEN. &c. &c.
Cancellarii Almæ Acad: dignissimi fautorisq́; maximi

O D E.

conscripta

à

M. Laur. Smiesskowic.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi. Anno Domini, 1616.

Ad Perillustrem ac Magnificum
Dominum,

D. NICOLAVM ZEBRZYDOWSKI A ZEBRZYDOWICE, PALATINVM ET GENERALEM Crac: Capitan: Sniatinen. &c. &c. Dominum colendiss.

ZEBRZYDOWI alta specula patrij boni
Senator Heroa ac inæstimabili
Prudentiâ; ornamenq; fidei altißimo
Memorandum in æuo, cùm illa Dia sacraq;
Caluariæ loca astruis pensis tuis;
Nostri quoq; Lycæi Patrone maxime:
En literarum sydus almum (quod suo
Adflatu alebat spiritum & vitam artium)
Lugemus extinctum; tuum illum te alterum
TILICIVM, eras cum quo cor vnum vnus animus,
Quiq; fueratis vsq; par pulcherrimum:
Ad huius atrum funus ingemiscimus,
Iustumq; nostris luctum in animis voluimus.
Porrò ista lamenta tibi nosq; dedimus,
Vt, qui tuo sumus orbi amico corculo
Qui nostra prolixè studia adamauerat,
Gemines tuam hinc in nos bonam fauentiam.

ODE FVNEBRIS.

STROPHE I.

Nî magnus orbis arbiter
Vitæq́ limitator
Deus, adamantino exarasset
Cæstro, ius metuendum
Legemq́ inuiolabilem,
Fatorum in illo codice aureo:
Nî inquam sacrum flendumq́ homunculis misellis
Extaret illud iussum ab ore Dei editum,
Esse moriundum homini semel qui natus est semel, nec exilire fas
Quam lineam posuit Deus,
Emetans miseræ compendia paruula vitæ:

ANTISTROPHE I.

FLeremus vndatim tuam
Mortem, & licet iam abundans
Æui, saturq́ sat dierum
Mortali è statione
Emigraueris, attamen
Ocissimè quod abieris queremur querelis feruidis amarisq́-
Episcoporum gloria effusissima

PETRE TILICI. Nam siue te memoro tenentem
Hæc præalta culmina
Grandibus inclyta honoribus,
Seu quo virtutis nisu perrexeris istuc

EPODVS I.

COllectis animis penso fidelius,
Exors debueras viuere mortis.
Puer iuuentam ingressus in impigram
Primùlum abesse procul studebat
A turpi faciliq; segnitate,
Mente sed secum voluëns sagaci
Ardua quod virtus arduum in omne ruat,
Quodq; gloriam almam
Difficiles curæ pepererunt,
Et labor inscius
Mollicula quietis;
Ips ideo teneros macerabat
Continuis operis annos, neq; hunc
Artibus implicitum

STROP: II.

AVrora vigil offenderat
Vnquam supercubantem
Lecto. Quid? Istumné iuuenem sol

Surgendo præiſſet
Qui iam decrepitus ſenex
Gelidâ retractans memoriâ vetus
Studium, integerrimos tragædiarum
Comœdiarumq́ (& vetuſti quidquid eſt
Poëmatis) tractus recolligebat alto ex
Promptuario, ſed id
Promptiùs atq; fideliùs
Debita quàm ſi quis retuliſſet penſa Mâgiſtro;

ANTISTR: II.

QVid Tulliana tonitrua
Quando reuocabat? atq;
Annalium caſci nouiq́;
Sæcli per monimenta
Ibat? quàm ſtetit inſolens
Stupefactus hoſpes talia audiens!
Ita hic tenellos excoluerat annos
Doctis Camœnis vt ſenecta marcida
Haberet hinc ſtabilem animum dieſq́; lætos;
Proſperis nihil fidens,
Triſtia nil metuens, Dei
Spectabat nutus, caſumq́; armatus in omnem

EPOD: II.

HOs tantos referebat sapientiæ
Fructus. Nec procul est per peregrinas
Venatus oras hanc sapientiam,
Verùm Academica per Lycæa
Percurrens, bona mentis aggregabat.
Turpe solers TILICIVS putauit
Ruspari externis in Regionibus id,
Patrimonia ampla
Dilapidando, vim patriisq;
Moribus & bonis
Legibus inferendo
Quod sua cuiq; potest dare abundè
Patria. Quare Academiæ terens
Limina TILICIVS

STROP: III.

IAGELONIANI Contuber-
nÿ incola atq; consors,
Ita pectus exauxerat aceto
Seu mores specias, seu
Doctrinæ omnigenum genus,
Paucos vt habuerit sibi pares.
Hac eruditione limpida auctus,
Non adfricata cui erat contagio

Exotica prauarum licentiarum, ab alta
Dignitate prominens
Quàm radiabat in omnium
Conspectu, illustrans patriam Clerumq; verendum?

ANTISTR: III.

VTinam, vtinam ad nos reueniat
Mos Lechiæ vetustus,
Suspiriis altis vocandus,
Quem olim sobria Sparta
Arcto obiecerat obice
Legum; suorum ne alicui afforet
Fas exteras vicinias inire:
Regnaret ille candor in Polonia,
Olim Polonis ingenitus, & multa praua
Imo abominabili-
a ingenuâ à pube Lechica
Longè aliena forent, quæ nunc grassantur in omnes

EPOD: III.

ÆTates: vbi namq; est bona copia
Herbarum medicarum, insimul istic
Magna est veneni mortiferi seges.
Nec scio cur Academia alma
Magnorum in gremio educata Regum

Artium

Artium cunctarum opulens genitrix
Non poßit proles eruderare suas,
Lechicoq; Regno
Efficere aptas? Ecce Lycæo
Ex Academico
Ad patriæ labores
TILICIVS properat, sui & aulam
Principis ingreditur, nullum exteri
Doctus iter populi;

STROP: IV.

ITa tamen exactißimè
Exemplum ad vsq; viuum
Exoluit officium suum omne,
Hunc vt magnus haberet
Permagnis in amoribus
ZAMOSCIVS, natumq; diceret
Virum feracem consili potentis.
Magnum viro toti oculeo Zamoscio
Placuisse, magnum elogia tanta ab eo tulisse;
Cui viro parem virum
Robore mentis acerrimo
Et prudentia inexuperabili, Arunco etiam æuo

ANTISTR: IV.

VIx repperisse fas erat;

Et cui

Et cui placere maius
Fuerat quàm honores promereri
Voto publico in vnum
Collatos: ita gloria
Virtutis euectißimum in modum
Euexerat Zamoscium, potentem
Belli, potentem & inclytæ prudentiæ.
Hic iam TILICIVS *luminar lampasq́ Diuûm*
Dans corusca fulgura,
Peruolitansq́ Poloniam
Claris nominibus queis tractũ impleuerat omnem,

EPOD: IV.

I*Am inquam tollitur hoc luminar igneum in*
Candelabra Deûm, iam aptus honoro
Pastoris & Sancto & vigili iugo,
Collum ad Episcopeos labores
Submittit; fauitoribusq́ mißis
Ab sua virtute vocatur altum
Præsulis in solium. Ergo illius excubias
Culma, Varmîa, Vladi-
slauia, Sedes altæ & honoræ
Vociferantur, ar-
dentibus & requirunt

 Vocio...

Vocibus, vt sibi quolibet æuo
Consimiles dare Pastores velit
Maximus ille Deus

STROP: V.

P*Astor per crbem amplissimus,*
TILICIVS vt erat olim.
Loquetur hunc Cuiaua terra
Atque in-Prussia constans,
Qneis purgamina dispulit
Quàm plurima hæreseos, & in quibus
Augusta fixit templa, Basilicásq;
Dotauit illa opimitate; scilicet
Tilicium erat ditare templa literasq;.
Sed tacere me hic iubet
Martyre clara Stanislao
Cracea Episcopa, quam Diuino robore præstans

ANTISTR: V.

T*Enebat humeri[illegible] iste Atlas*
O quàm impigr[illegible] valenter?
Quamlibet e[illegible] seniculus esset
Antiquis [illegible]uis annis
Atq; ex[illegible]citus omnibus
L[illegible]oribus pro patria sua,

Et mem-

Et membra fractus inquiem ob malignam:
Tamen quoad potis erat, omnem celebrita-
tem adire satagebat, micansq; mitra bicorni,
Quæ insidere frontibus
Præsuleis nitida assolet,
Ante suum populum stabat quàm ipsissimus
(Anti-

EPOD: V.

stes, promptaq; manu proijciens cruces
Maxima per densati agmina vulgi,
Obibat ipse munia qualibet,
Quæ infimus exageret sacerdos.
Quid munus memorabo maximum illud
Et laborem Principem Episcoporum
Vt videant, clerus sitné sub officio?
Quàm hac fuit beatus
Parte senex iste? inualido qui
Robore corporis
Vix animam retentans:
Is tamen ipsus ouilia visens
Propria, disiicit offensacula
Sacriferi ordinis, ad

STROP: VI.

LImam exigens sanctissimam

Factum omne sacricolarum:
Moleq́; grauatus imbecilla,
Morbis consitus, ægra
Quos secum agmine plurimo
Trahit senectus, attamen suas
Ecclesias per loca sitas remota
Ipse obit, & vt speculum inspicit sacrum ordinem.
O suauem odorem TILICII *per hanc Diæcesim, ô venusta balsama,*
O sata luxuriantia,
O fructus quorum iam nunc mens illa manîplos

ANTISTR: VI.

INtulit in altaria Deûm,
Fragrantiamq́; miram
Per omne cælum suscitauit.
Nec verò ille manîplus
Paruis fumat odoribus;
Cuius beata hìc seminia dedit
Cùm (quod vocant Sancti Angeli institutum)
Perfectione plus monastica ordinem
Circumligatum collocat Cracea in vrbe;
Cuius est professio
Omnibus his famularier
Quos coquit insani discors concordia morbi:

EPOD: VI.

ISti, inter, positi strata gementium,
Inter & vlcera febres & acutas,
Et morbidorum viua cadauera,
Vota agitant precibusq; cælum
Pulsant, quæq; mala ægrimoniæ adsunt,
Putidæ sordes olidusq; marcor
Flammantes Christi & proximi amoribus hi
Exedunt lubentes,
Ægraq́; tollunt corpora lectis.
Ergo quòd vrbi huic
Commodet iste cœtus,
TILICIO referamus id acce-
ptum, memoriq; colamus pectore
TILICIVM vigilem.

STROP: VII.

SEd vellit auriculam mihi
Nostri Senati inhorrens
Ex morte TILICII orbitudo.
Nam quæ (ô Die Deorum)
Oris magnificentia
Erat illa, quod caput senilibus
Ita liliis venerabile ac decorum?
Ita rutilabat in Senaculo Patrum

Patriæ, vt in horto diuite herbarum coloris
Discoloris, emicat
Supra alias caput exerens
Herbarum heroinà rosa, inuestita sereno

ANTISTR: VII.

CAndore: cùmq; suo ex loco
Sententiam iubebat,
Omnes velut in Apollineum
Oraclûm auribus ibant;
Et librata diu intimis
Animis TILICIO *consilia, citâ*
Admurmuratione prouehebant,
Prudentiamq; incomparabilem viri
Stupore dignabantur. Hæc apud Senatum
Hæc apud catissimum
Regem ita TILICIVM *extulit*
Non vt amor tantùm verùm reuerentia magna

EPOD: VII.

A summis fuerit fusa in eum viris
Cùm magnis cumulis laudis honora.
Et cum in Senatu relligio fuit
Rictibus Hæreseos petita,
Vidisses ibi Episcopi Typum vnum;

Namq; ut inuictus leo quando cernit
Immineat specubus quod fera fœda suis,
Queîs in educatur
Spes generosi magna parentis;
Proruit impete
Horribili, & viam istam
Ne terat amplius, edocet iris
Percitus: Haud aliter TILICIVS
Hæreticam rabiem

STROP: IIX.

COmpescuit creberrimè
Clam sacra Dei inforantem
E tartaro missam nigrante.
Quare altissimo honoris
Gaudens culmine Pontifex
Cuius gubernis hîc Vicariis
Commisit Ecclesiam & ouile sanctum
Christus per orbem, Roma quem, mundi caput,
Dominum videt; is & precibus & monitis fatigat
Sæpè consilî integrum
TILICIVM per epistolas
Comitiis patriis sua nunquam absentet ut ora;

ANTISTR: IIX.

RES Christiana, inquit, rogat
Rogat ipsa patria vestra.
Atq; hanc monitionem supremo hoc
Fatali anno iterauit.
O prudentia TILICI
Quam Roma domina gentium suo
Cum Præside emirarier satis non
Potuit, ô & alte amor TILICI Ecclesiam,
Inq; patriam, inq; literas, Academiamq;:
Non enim hîc queo tuum
Non memorare animum aureum
Splendida suauiloquæ quando stipendia linguæ

EPOD: IIX.

DOnas, pauperieq; erigis obrutam
Artem, quæ reliquis lampada præfert,
Et quâ sine, omnis torpet acuties
Cùm caret eloquio diserto.
Digna est Præsule liberalitas hæc,
Et viro dignissima consulente
Floreat vt cunctis patria chara bonis.
Hinc enim Magistri
Relligionis voce tonantes
Troio vt ex equo
Prosilient, dabuntq;

Horri-

Horribilem in vitiis populi stragem, & fidei solida mysteria
Clam euanidis tenebris

STROP: IX.

MVndo in oculos clarè inferent,
Amsanctaq; sua iussa
Validè vndiquaq; roborabunt,
Portentosaq; monstra
Errorum fidei, nece
Multa necabunt. Peruidebat hoc
Famosus ille Apostata Iulianus,
Qui Christianus agnus antè, pòst erat
Hædusq; olens, Tartareaq; pecus, & Dei hostis:
Is miser Gigantulus
Bella Deo & fidei inferens
Rhetoricas inhibet Christum profitentibus, aiens

ANTISTR: IX.

Βαλλόμεθα οἰκείοις πτεροῖς
Propriis ferimur alis:
Cur hoc? quia eloquentia almam
Christi relligionem
Diris vendicat à probris
Calumniisq; calumniantium.

Hoc hoc videbat TILICIVS, videbat
Simul Patriæ egentißimam indigentiam,
Quæ est maximè indiga eloquentiæ vi amicæ.
Ergo ne pubes Lechi
In Regionibus exteris
Cum sumptu mores perdat cum moribus æuum,

EPOD: IX.

QVamq; artem antea per mendicimonium
Ex aliis populis accipiebat,
Hanc vt domi tensâ arripiat manu,
Non vagabunda foris iuuentus,
Fecit TILICIVS suorum amore
Æstuans. Nam non Academiæ absunt
Prædita diuinis dotibus ingenia,
Artium sed absunt
Ah fauitores atq; patroni;
Absque quibus bonæ
Mortem agitant Camœnæ:
Sint modò sint ita TILICII plu-
res, reuirescere tunc plures quoque
Germinibus nitidis

STROP: X.

ARtes bonas lætabimur

Academi-

Academico hoc Lycæo.
Verùm mihi mea hîc silentium
Musa obtrudit, & vrget
Vt non amplius oggeram
Verba mea rebus TILICII. *Ferent*
Ad astra TILICIVM *sua efferenda in*
Theatra gentium facinora, nec dies
Vllus TILICII *perpetem inseret sepulchro*
Gloriam, obticescite
Timpana crebra sonantia
TILICII *laudes, sua* TILICIVM *acta loquuntur.*

ANTISTR: X.

ILle timor arduus Dei,
Illæ excubiæ in ouili
Suo, & Eleëmosinæ profusæ,
Illa Oratio cælum
Recludens, diutinaq; hæc
Cùm debuerat adsternier sacris
Aris. Quoq; is cùm debil esset, & cùm
Morbusq; seniumq; abigerent è corpore
Animam, & misellæ displicina vitæ illum haberet,
Hic tamen potens ani-
mi Deum adorat & vltimum
Spiritum agens labiis versat laudem astripotentis;

INterq́; istud opus, somnus ahenens
Æternùm se oculis illigat eius.
O dia mens ô verè anima aurea
Spes mihi firma rata insusurrat,
Quod nunc in superûm emices Senatu,
Et quòd illam grandem animam iubarq́;
Cæli vnûm inspectes Stanîslaum, & illius ar-
cto implicatus ample-
xu hæc referas verba: Euge fidelis
Pastor Episcopæ
Quam olim ego tinxi oborto
Sanguine vulneribus; iam epulare hoc
Magnum epulum Angelicum, iam os cælicam
Infer in ambrosiam.

Iesu Christo gloria &
gratia.